



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

4. Rachnacarius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11463**

## RACHNACARIUS

*Anno  
Christi  
640.**Basileensis Episcopus.*

## IV.

**A**D infulas Basileenses assumptus  
est Rachnacarius, in Luxoviensi  
Cœnobio antè Monachus, & disci-  
pulus S. Eustachij sive Eustasij, cu-  
ius vitam ab Abbate Iona conscri-  
ptam refert Surius & Lippeloo ad 29.  
Martij. Ex quo eodem Abbate Iona,  
Cæsar Baronius tom. 8. ad an-  
num Christi 615. de Rachnacario no-  
stro luculenter agit. Vnde, facile  
est colligere, quâ ætate curarit Ec-  
clesiam Basileensem, si Divi Colum-  
bani in Burgundiã adventum, repe-  
tamus. Ex Hibernia patrio solo,  
cum B. Gallo in Gallias profectus  
S. Columbanus, Mauritio imperan-  
te sub annum 592. in Burgundia su-  
periore,

F 5

periore,

Anno  
Christi  
640

periore, Luxoviense monasterium extruxit, singulari Theodorici Regis indulgentiâ, quemadmodum testatur Regino non vulgaris Scriptor. Anno vigesimo post, ut ostendit Baronius tom.8. ad annum 612. Brunehildis invidentiâ, nescio quâ S. Columbanum fastidens, technis suis & frandulentis precibus impotens sui femina, ut muliebris suada maritorum animos nimis uxorios utramvis in partem versare novit, tantum effecit apud Theodoricum Regem, ut vir innocens in exilium proscriberetur. Exulem recepit Italia, & Luxoviense Cœnobium exulis in abbatis munere successorem, gentilem suum Eustachium sive Eustasium, non nisi violenter à Patre suo Columbano abstractum. Eo deinde familiariter usus est Clotharius II. rex Francorum, qui sublato Theodorico rege, eiusque liberis Galliarum regnum

regnum occupavit, anno 614. Por-  
ro Eustasius usque adeo vitæ exem-  
plo & accuratissima regulæ Mona-  
sticę observãtia passim celebrabatur,  
ut Luxovij 600. alumnis, iisque exi-  
miis pietatis cultoribus præesset.  
Hos, ut par erat, magni omnino fecit  
Clotharius II. ita ut plures, ipso an-  
nitente, præclarissimis Infulis con-  
decorarentur. Recenset ex illis,  
scriptor Ionas in vita S. Eustachij,  
Chagnoaldum Episcopum Lugdu-  
ni Acharium Viromandorum, Rach-  
nacariũ Augustuduni & Basileæ &c.  
Fuit ergo Rachnacarius Episcopus,  
regnante in Gallia Clothario II. eiús-  
que filio Dagoberto, qui Patri succe-  
dens Gallias minimum annis 14. fe-  
liciter rexit.

Anno  
Christi  
640.

Et quamvis post Rachnacarium,  
nullius Episcopi nomen Vrstisius &  
M. SS. codices exprimant ante Vva-  
lanum, qui primus Basileæ sedisse

nota-

Anno  
Christi  
648.

notatur post annum 748. non tamen ideo seriem Episcoporum interruptam fuisse arbitrandum est, cum in his locis Christianam viguisse pietatem hoc sæculo, multa doceant argumenta. Certè is tum erat PP. Benedictinorum Zelus & studium in propaganda religione, ut solum monasterium Luxoviense plures idoneos Episcopatus administrandis suppeteret (prout memorant antiqui Scriptores) & sanctitate vitæ conspicuos, Ursicinum, S. Germanum Martyrem, Rachnarium, alios, qui apud Rauracos veræ religionis plantaria strenuè coluerunt. Accessit ea regum Franciæ munificentia, Dagoberti præsertim, quæ sanè Ecclesiarum & Episcoporum dignitatem labefactari minimè pateretur. Certè Dagobertus anno Christi 644. regni 14. subactis aut pacatis vicinis regionibus, magnam  
apud

apud posteros promeritus laudem, Anno  
Christi  
640  
universas penè Galliaë Ecclesias patrimonij sui hæredes fecit, ut loquitur Baron. tom. 8. ex Aimonio lib. 4. c. 30. Sed eius liberalitas se visa est effudisse in Argentinensem, cuius fundator à Cratepolio lib. de Germ. Episcopis nominatur, facta per ipsum ditionis Argentinensis arce Isenburgo, Rubeaco &c. Quam regis beneficentiam non immeritò deprædicârunt olim Argentinenses Episcopi, Amandus, Arbogastus, Florentius. Templâ insuper in Alsatia, vicinisque locis excitata, & copiosis ditata proventibus. Præter Dagobertum verò, munificentiam excelluit singulari Childericus, qui sub annum 663. fundavit Alsatiaë monasterium in valle S. Gregorij. Ut de Sigeberto Dagoberti filio nihil dicam, qui & ipse multa Monasteria à fundamentis erexisse memoratur.

Anno  
Christi  
640.

ratur. Regiæ pietatis æmulus, Eberardus Dux Sueviæ, & Comes Alsatia, Murbacensis auctor Monasterij extitit, id impetrante S. Pirminio Meldensi Episcopo, ut testatur Hermannus Contractus ad annum 727. Novum deinde illud Cœnobium consecravit Vvildeginus Episcopus Argentinensis, anno 733. quo scilicet anno, Theodoricus II. Childerici frater, Romano I. Abbati jura regalia impertivit. Cuius rei fidem luculentam faciunt variæ in templo & Monasterij ambitu inscriptiones. Eiusdem Cœnobij foundationem tribui quidem comperio S. Pirminio: utique, quia eo impellente, felicibus auspiciis conditum, quando ex monasterio Augiensis Insulæ, odio Theodebaldi Ducis, exturbatus est. Res ab eo gestas fusiùs profequitur Matthæus Raderus Societatis IESV tom. 1. Bavar. Sanctæ. Corpus Sancti Pirminij,

Pirminij, operâ Schvvicardi Comit<sup>is</sup> ab Helffenstein fundatoris Novitiat<sup>us</sup> Societatis IESV Landspergæ, af-  
servatut hodie religioſe, in templo  
eiusdem Societatis, Oeniponti.

Anno  
Christi  
640.

Claruerunt hoc tempore SS. Proiectus & Marinus, & simul Martyrij lauream adepti sunt, circa annum Domini 670. Ita testatur Trithemius de viris illustribus, & Proprium Basileense ad 25. Ianuarij, cum eorum aliàs Natalis celebretur. VI. Non. Oct. Martyrium utriusque, hoc ferè sensu, passim refertur.

Proiectus in Gallia nobili stemmate procreatus apud Arvernos, non satis habuit primis annis, & inter periculosos adolescentiæ scopulos integritatem animi conservare, nisi simul cum ætate, sua liberalibus disciplinis, & longè magis virtutibus incrementa daret. Præclaras adeo dotes in Proiecto demiratus  
Felix



Anno  
Christi  
640.

Felix Arvernorum Episcopus, cum  
Candinensi Coenobio præfecit; fu-  
turum inde, post obitum suum, me-  
ritissimum & communibus opta-  
tum votis successorem. In utroq;  
munere idem mansit Proiectus, hoc  
est Sanctus, industrius, fortis: dum  
nempe & inflammata divini verbi  
prædicatione, & exemplo vitæ ad-  
mirabili nunquam interrupto præ-  
luxit: Parthenonem Deo sacris Vir-  
ginibus, Nosocomium agris erexit  
suis facultatibus: Ecclesiæ denique  
iura propugnavit strenuè. Redu-  
cem ex itinere, quod ad Childer-  
icum Francorum regem susceperat,  
simulq; Marinum Abbatem, quem  
febri malignâ liberatum solò crucis  
signò, viæ comitem sibi adiunxerat,  
rebus apud regem feliciter confe-  
ctis, adorti Sicarij crudeliter peri-  
munt. Sed, ut melior vita præcla-  
ros martyres, sic patrati sceleris ma-  
ximè

ximi reos suum mansit supplicium. Ita enim in sacrilegos Latrones animadvertit Dei vindicta. ut alter præter animi malè sibi conscij lanicnam, vivum toto corpore vermibus esset pabulum. Alter, fractò brachiò, commissum facinus detestatus, amarissimis eluit lacrimis. Sanctorum porrò Lipsana, in amplissimo Murbacensi Cœnobio hæctenus cultu religioso asservata sunt.

Quando autem primò condita, & diu post, ex faucibus Vogesi montis Thannas translata sit celebris horum Sanctorum cultu Ecclesia, ita ferè tradit liber Statutorum, ut vocant, Ecclesiæ Thannensis.

*Quamvis de origine pervetusta & celebris Ecclesiæ SS. Proiecti & Marini (vulgus Amarinum vocat) eiusq; fundatore, nihil ad nos transmiserit obliuiosa antiquitas, probabile tamen*

G

est,

Anno  
Christi  
6499

Anno  
Christi  
640.

est, eam cum illustri Murbacensi monasterio cœpisse, circa annum 727. & Collegium hoc intra fauces Vogesi montis, primitus erectum fuisse in agro Murbacensi, in honorem SS. Proiecti & Marini, quos Arvernus in Gallia circa annum 670. illustre Martyrium coronavit, unde locus ille in oppidulum excrevit, & vulgò à Patrono nomen sortitum est S. Amarinum. Illius privilegia confirmavit peculiari bulla anno. 1430. Martinus V. Pont. usus operâ ad id negotium exequendum Ioannis à Fleckenstein, qui pedum Basileense tenuit 1423. & vita excessit 20. Dec. 1436. De Collegiatæ porrò illius Ecclesiæ translatione, quæ certis documentis constant, sic habent. Anno 1442. 12. Julij, summo Pontifice Felice V. (Pseudopapa is fuit) Epifopo Basileensi

leensi Friderico de Rheno, auctori-  
tate Oecumenici Concilij Basileen-  
sis (quod tamen Oecumenicum eo  
tempore iam desierat esse) Collegi-  
um ex pristino suæ stationis loco,  
solemniter ad S. Theobaldi Ecclesi-  
am translatum est Thannas, absque  
ulla veterum jurium aut privilegio-  
rum immutatione, & ob causam æ-  
quissimam: ne vetusta scilicet & ce-  
lebris Ecclesia in patenti campo, tu-  
multibus bellicis illic crebro sævi-  
entibus, omnino dissolveretur, sed  
in munitum recepta locum, divina  
officia quietiùs perageret. Tum  
etiam, quòd sacra Divi Theobaldi  
ædes, iam aliàs vulgatissimæ famæ,  
ob prodigia, quæ per sancti polli-  
cem velut Dei digitum, religiosæ  
admirationi erant, novum inde esset  
acceptura ornamentum. Benigno  
intuitu annuit translationi huic Fri-  
dericus Romanorùm Rex, Austriæ

Anno  
Christi  
642

*Ann.*  
*Christi*  
640.

Archidux, confectis hac super re tabulis, sanctè pollicitus, Ecclesiam multis à se auctam privilegiis perpetuo tutandam patrociniò Serenissimæ domûs Austriacæ, cum & illius ditionis esset (tunc temporis) Vrbs Thannensis. Perfecit deinde illam translationem nomine Basileensis Concilij & autoritate, Ioannes S. Martini in montibus, SS. Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinales, de Davaria nuncupatus, Episcopo tunc Basileensi, Arnolde à Rhotberg, SS. Theologiæ Doctore, electo 19. Ianuarij, anno 1451. & è vivis sublato 7. Maij.

anno Domini

1458.



V VALA-